



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Conuerso, cui sanctus Nicolaus apparuit in choro, cap. 72.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

**A**D ordinem confessorum pertinent Pontifices, Abbates, clerici, monachi, nec non & laici religiosi, Christum vita & ore confitentes, & sine sanguinis sui effusione ad eum, quem confessi sunt, migrantes. Tempore persecutionis omnes Christiani Confessores dicti sunt, Christum in suis tribulationibus corde & ore confitentes, maximè tamen hi, qui pro illo passi sunt. Qui postea antonomasticè dicti sunt martyres, & nomen Confessorum specificatum est, maximè ad sacerdotes Domini, peccatorum confessiones recipientes, quibus data est à Domino potestas ligandi atque soluendi. **APOLLONIUS**: Qui tibi videntur maiores, martyres an confessores? **CÆSARIUS**: Quæstio hæc soluenda est secundum excessus & excedentia, licet ordo martyrum, ordinem confessorum præcellat dignitate, quidam tamen confessores quibusdam martyribus meritò longè sunt superiores: vnde habes in hymno; Plus currit in certamine, confessor iste sustinens, quam martyr ictum sufferens, mucrone fundens sanguinem. Ecce exemplum; Certum est, ordinem Episcoporum digniorem esse ordine Abbatum, attamen quidam Abbates regales, quibusdam episcopis gloria & honore maiores sunt. **APOLLONIUS**: Consentio. **CÆSARIUS**: Quanta sit in visionibus beatorum confessorum consolatio, paucis tibi explicabo.

## CAPVT LXXII.

**E**ST quidam apud nos Conuersus, cuius nomē *Visiones?* proderi non licet, vir bonæ conuersationis, *de sanctis* & sanctum Nicolaum specialiter diligens: iste, *Confessoribus.* sicut ab ore eius audiui, in quadam solennitate, infra matutinas, iam dictum confessorè pontificalibus indutum in choro stare conspexit: de cuius visione, quæ magnæ fuit reuerentiæ, tantum gaudij cor eius concepit, vt sibi altitudine duorum pedum à terra suspensus videretur. Non solùm hic beatissimus pontifex perfectorum visitator, sed & miserorum in sumis necessi-

CAPVT LXXIII.

**N**ondum duo anni sunt elapsi, quòd in villa qua-  
 dam iuxta Coloniam; sicut nuper illic audiui et  
 praterirem, loco furis quidam deprehensus est; verum  
 esset reus, vel innocens, mihi dici non potuit: què cum  
 morti adiudicatum, laqueo collo eius iniecto, in pa-  
 ribulo appendissent, ille nullum dolorem sustinens,  
 cum iam mortuus æstimaretur, clara voce clama-  
 uit: In vanum laboratis, non poteritis me strangula-  
 re, sanctus Episcopus Dominus meus Nicolaus mihi  
 assistit, en video illum. Quod multi audientes, & ita  
 esse experimento cognoscentes, putantes eum inno-  
 centem, ob honorem sancti Nicolai depositum, abire  
 permiserunt. Qui Bruwilre ad memoriam sui libera-  
 toris currens gratias egit, se à suspensio illius meri-  
 tis, absolutum proclamans. **A P O L L O N I V S**: Au-  
 diui ab infantia, quòd sanctus Nicolaus omnes Epi-  
 scopos misericordia præcellat. **C Æ S A R I Y S**: Tanta  
 pietatis est & misericordiæ, vt & malos à morte, sicut  
 dictum est, sape liberet, & bonos mori desideret: il-  
 los, vt emendentur; iustos, vt æterna beatitudine  
 fruantur. Reuera, dissolui & esse cum Christo multo  
 melius est. Et, Beati sunt mortui, qui in Domino mo-  
 riuntur.

*Philip. 1  
 Apoc. 14.*

CAPVT LXXIV.

**A**DAM monachus de Lucka, cuius in superio-  
 ribus memini, in quadam conuentuali ecclesia  
 Saxonix, quæ Bucka dicitur, scholas frequen-  
 tauit: cumque in cœmiterio multi lateres essent re-  
 positi ad fabricam oratorij, ipse, sicut puer, vnum ex  
 eis tulit, & in eo sculpere cœpit: quod cum magister  
 eius vidisset, terruit eum, dicens: Depone laterem, quia  
 excommunicatus es. Ad quod verbum puer territus,  
 mox cœpit infirmari: cumque inualecente morbo  
 ad extrema deuenisset, & iam morituro data cande-  
 la fuisset in manum, duos pontifices, beatum scilicet  
 Nicolaum, & sanctum Paternianum, præfatæ Eccle-  
 siæ patronum, coram se stare vidit & agnouit: stabant  
 aurem